

rat potentiam supra planam id sustentantem,
adeoque tantò minus gravitat planum, quan-
ta est ratio inter perpendicularum & longitu-
dinem plani; ex cuius uno extremo tan-
quam ex puncto sustentie demissum intelli-
gitur perpendicularum ad basin inclinato pla-
no occurrentem, & sic alterum extremum in
eo designantem.

V. g. referat in Figurâ primâ Recta P C. planum in-
clinatum; S C. sit basis, P S perpendicularum: incumbat
inclinato plano P C, pondus globosum 64 unc., quod o-
nerabit potentiam in V. vel inde suspensum contrapon-
dium M. saltem 16. unc., ut planum inclinatum V C. tan-
tùm sustineat 48., dum perpendicularum P S. ad hypote-
nufam P C rationem habet subquadruplam, quæ est in-
ter 16. & 64, vel inter 1. & 4. subtracta verò 16. à 64. relin-
quunt 48. gravitatem plano incumbentem, quâ solâ de-
orsum tendit, quippe residuo ex puncto V. suspenso.

Jam quoniam Pendulum 64. unciarum in obliquo
fitu P C (Fig. 2.) ex polo suo P. suspensum æquipollet
corpori gravi 64. unciarum, quod tali plano inclinato in-
cumbit, & à potentia P. quoad illam partem obliquè
sustentatur, per structuram, cujus plani perpendicularum
est P S. v. g. 4. part., cum totum P C, quod æquatur ipsi
P E, sit 16 part: Igitur in hoc situ pendulum C. 64. unci-
arum transfert 16. uncias in polum P. & residuo 48 unc.
tantùm per se gravitat inclinatum planum, hoc est, aë-
rem, in quo tum liberè hæret, quia sicut 4. ad 16. (h. e. ut
perpendic. ad hypotenusam) ita 16. ad 64.

Per se, inquam; Nam si aliunde prematur Pendu-
lum,

C

lum,